

ARTICVL
De
CHRISTO

COMPENDIARIA PER THESES
DELINEATIO.

Quam

D. B. J.

IN SOLENNI SYNODO

Jussu Serenissimi PRINCIPIS
FRIDERICI, March. Bad. & Hochberg. &c.

Institutam,

PRÆSES SYNODORUM ORDINARIUS

IOHANNES FECHT, S.S. TH.

Licent. Ser. Pr. Consiliarius Ecclesiasticus & Concionator Aulicus, inque Illustri Gymnas. SS. Th. Metaph.
& S. Ling. Prof. P.

ET RESPONDENS

JOHAN. PHILIPPUS VVEININGER.

Diakonus Pforzensis,

Ad ventilandum proponunt, Die 3. Novembr.

DURLACI,

TYPIS JOHANNIS SALOMONIS HAKEN.


Anno M DC LXIX.

£. XX. #.

SLUB. 166, 43.

Coll. diss. A
166, 43





DISPUTATIONIS DE CHRISTO

Præloquium.



Um Serenissimi Principis, Dn.
FRIDERICI, Marchionis Ba-
densis & Hochbergensis, &c.
Domini nostri Clementissimi
jussu hoc anni tempore quæ-
dam pro Synodali Disputatio-
ne Theses essent conscriben-
dæ, argumentum à nobis, Doctrina de CHRI-
STO, ideò fuit electum, quia præcedentibus il-
la disputationibus ex parte tantum, casu quo-
dam integrum considerationem distrahente,
proposita fuit atque ventilata. Ne quid igitur in-
summo & principali fidei nostræ articulo, de
quo in conventu nostro, tanquam solenni fi-
dei nostræ & orthodoxias teste atque præcone,
colloquendo, differendoque inter nos actum


A 2

non

non sit, superesset, integrum articuli systema,
quod & personam & officium Christi com-
prehendit, conceptis thesibus ob oculos posui-
mus. In quibus verò prolixitatis vitandæ causa,
licet Ecclesiæ nostræ sententiam ex symboli-
cis libris, nominatim **CONCORDIAE FOR-**
MULA, cui fidem sanctissimo juramento sin-
guli adstrinximus, sine longa contrarii subin-
de erroris recensione, nudis & perspicuis verbis
retulerimus, veritatem tamen, quæ congres-
sum nostrorum finis est, à falsitate & menda-
cio exquisitis terminis discretam, unicè profes-
si sumus. Quam ad rem, si vocibus in Philo-
sophorum duntaxat schola consuetis quando-
que usi fuimus, id ad liberandam ab afficto er-
rore veritatem & factum esse & fieri debuisse,
quilibet rerum theologicarum non omnino
expers sponte intelliget. DEum preciamur,
ut in Christiana nos fide, pulsis procul omni-
bus erroribus, nos perpetuo conservet!

Th, I.

Almarium fidei Christianæ



caput est, quod Verbum hoc est, filius DEI, adsumserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis, ut sint duæ naturæ, divina & humana in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, verè Deus & verè homo, natus ex virgine Maria, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis ; quodque descenderit ad inferos & verè resurrexerit tertiam die, deinde adscenderit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum misso in corda eorum Spiritu Sancto, qui regat, consoletur ac vivificet eos, ac defendat adversus Diabolum & vim peccati ; quod denique idem palam fit redditurus, ut judicet vivos & mortuos, juxta Symbolum Apostolorum, ut Augustana loquitur Confessio art. III.

TH.. II. Hanc fidem nisi quis integrum inviolatamque servaverit, sed vel gentilium more ignoraverit, negaveritve, vel exemplo hæreticorum oppositum defenderit, rectiusque sentientes oppugnaverit, aut adseruerit quidpiam, quo illa ex se labefactari possit aut destrui, absque dubio in æternum peribit. Hic enim, ajunt Smalcaldici, art. I. primus & principalis articulus est, de quo cedere aut aliquid contra illum largiri aut permittere nemo piorum potest, etiam si cœlum & terra ac omnia corruant. Non enim aliud est nomen hominibus datum, per quod salvari possimus, inquit Petrus, Act. IV. 12.

TH.. III. Nomen Salvatori nostro duplex est, quorum prius officium, posterius officii finem comprehendit. CHRISTUS enim ex Græco, quod in Hebræo Messiam sonat, unctum significat, ungi autem in V. T. ad officia solebant Reges, Prophetæ & Pontifices. Quæ officia cum non eminentissimo tantum gradu, sed divina prorsus ratione obierit Servator noster, Messiæ quoque & Christi vocabula singularissimo ei modo competere intelliguntur, cum à DEO secundum carnem non donis tantum instructus supra confortes suos, sed accepisse etiam spiritum sine modo &

mensura dicatur, Ps. XLV. 8. Joh. III. 34. Jesus autem ex Hebræo ὁτικός, (quod vocabulum per Servatorem, deficiente apud Latinos voce significantiori, & ap. recentiores per Salvatorem redditur:) notat, ipsomet DEI legato dicente: ipse enim salvabit populum suum a peccatis suis. Matth. I. 21.

T H. IV. Ex priori Salvatoris nostri nomine Messiani characteres & ex his invicta surgit probatio, hunc non alium esse Messiam, seu Christum veteri Testamento promissum & novo exhibitum. Cui enim non nomen duntaxat Messiae, sed res nomine divinis in V. T. prædictionibus denotata competit, illum necesse est esse Messiam V. T. promissum. At Salvatori nostro, Mariæ Filio, competit nomen Messiae, quippe quem populari sermone, teste Pilato, Christum dixerat, Matth. XXVII. 22. & res nomine divinis in V. T. prædictionibus denotata; est enim semen mulieris, Abrahæ, Isaaci, Jacobi, Davidis, natus in Bethlehem ex virgine, circa finem politiæ Mosaicæ, nondum plane ablato de Juda sceptrō, tempore quoque à Daniele per LXX. hebdomadas exactè præfinito & stante adhuc templo secundo, passus pro genere humano, crucifixus, mortuus & sepultus, surrexit cum gloria, ascendit cum jubilo, veræ religionis suo quondam ore & hodieque in Ecclesiæ ministris Doctor & per complurima miracula adsertor, denique Rex universæ carnis, sicut innumeris V. T. locis persona & officium Messiae, ceu propriis & singularibus signis descriptum extat. Sequitur ergo, Salvatorem nostrum Messiam esse V. T. promissum, novo exhibitum.

T H. V. De posteriori nomine, IESU, quæritur, quâ ratione & quam ob causam divina ei veneratio exhibetur? Dicendumque est, neque terminari cultum in hoc nomine, neque cultus objectum esse nomen materialiter acceptum, sed personam, ad quam auditu nomine tendat veneratio. Respicit autem Apostolus, Phil. II. 10. morem gentibus usitatum, qui majestatem Imperatoriam, vel ad nominis pronunciationem, sancte venerabantur, tantamque post exaltationem carnis Christi esse gloriam profitebatur, ut externum illum cultum, qui devotionis internæ fit index, maioremque, jure longè majori requirat. Sicut autem per genuflexionem, εὐεκδοχικῶς positam, omnis cultus externus, ex contextu fa-

cile intelligitur: ita per nomen Iesu, omne aliud, quo hæc persona
insigniri possit, nomen denotatur. Inde personam potius quam
nomen ponit Salvator ap. Prophetam, loco, quem explicat Apo-
stolus: *Mihi flectetur omne genu.* Ef. XLV. 23. Quamquam causæ
esse possint, cur ad hoc potius quam aliud nomen venerationis cul-
tum instituas, ceu in Ecclesia nostra alicubi nomini Iesu, alibi
Christi is honos tribuitur & ad innuendam personæ divinitatem
ad Spiritus S. nominationem idem venerationis modus ex anti-
quitate retinetur.

T H. VI. Vetustissimus tradendæ de Christo doctrinæ mos
est, ut primo persona, deinde officium Christi consideretur. Quod
personam concernit, DEUM hominemque oportuit esse Messiam;
DEUM quidem, quoniam infinitæ justitiæ, quæ peccatis læsa fue-
rat, per creaturam, quæ finita est, satisfieri non poterat, neque per
merum hominem justitia & vita æterna restitui, aut Ecclesia in ea-
que fideles regi & defendi: hominem vero, quoniam homo fuerat,
qui peccaverat & poena pro peccatis subeunda sanguinis effusio-
nem & mortem, quæ hominis sunt, requirebat. *Quare non angelos,*
sed semen Abrahæ adsumere, nobisque per omnia similis fieri debuit, ut posset
compati infirmitatibus nostris, absque peccato. Hebr. II. 16. 17. IV. 15.

T H. VII. Ut vero ordine atque particulatim progredia-
mur, Divinam in Christo naturam probant quatuor argumento-
rum classes, veteri versiculo comprehensæ: *Nomen, proprietas, opera-
tio, denique cultus.* Tribuuntur enim Christo I. ea nomina, quæ
propriè non nisi DEO conveniunt, utpote *Jehova, Elohim, Deus, Fi-
lius DEI;* neque ea nuda, sed cum adpositis ad Deitatem propriè
dictam restringentibus. Rom. IIIX. 32. IX. 5. Tit. II. 13. Tri-
buuntur II. proprietates DEO soli competentes; æternitas, im-
mutabilitas, immensitas, omnipotentia, omnipræsentia, omni-
scientia, *καρδιογνωστικη.* Omnisapientia, Libertas agendi, majestas di-
vina, æqualitas cum patre. Ef. IX. 6. Psalm. CII. 28. Joh. III. 19.
Ap. I. 8. Eph. I. 23, Col. II. 3. Act. I. 24. Matth. XI. 19. Joh. V. 21.
XVII. 5. XVI. 15. Tribuuntur III. operationes, à solo DEO
provenientes, creatio, conservatio, miraculorum patratio, ex mor-
tuis resuscitatio, redemptio, Ecclesiæ regimen, salvatio. Psalm.
XXXIII. 6. Hebr. I. 3. Joh. V. 19. Zach. IX. 11. Matth. XVI. 18.
Joh.

Joh. V. 21. XVII. 2. Tribuitur IV. adoratio, DEO soli debita.
Phil. II. 10. Ad quæ probationum genera reliqua referri facili negotio possunt, sacrarum vero Literarum testimonia cumulari in Locis potius quam thesibus Theologicis debent.

T H. IX. Quamquam divina sit in Christo natura, eaquæ non alia sed numero eadem cum illa, quæ est in DEO Patre atque Spiritu S. non tamen divina natura absolutè considerata incarnata est, sed characterisata, ut Theologi loquuntur, seu in quantum sub hypostasi Filii existit. Christus enim ita DEus est, ut sit Filius DEI, qui essentiam Divinam à Patre per æternam generationem accepit, modo nobis imperscrutabili & ineffabili. Psalm. II. 7. Mich. V. 1. 2. Hebr. I. 3. Rom. II. 9. Quem modum vox ^{λόγος} sistit apud Johannem & verbi in Aug. Conf. cuius textum in fronte harum thesium præmisimus. Character igitur Filii hypostaticus ad intra, quo à reliquis personis differt, generatio est passiva, quæ & processio dicitur à Patre, ex qua est missio passiva in carnem. Gal. IV. 4. 5. Is verò relucet in operibus ad extra ita, ut agat Filius à Patre in Spiritu S. Rom. XI. 36. Qui determinatus agendi modus cum in redēptione cumprimis conspiciatur, illa vulgari loquendi consuetudine secundæ personæ appropriatur. I. Tim. II. 6.

T H. IX. Quæ verò de Divinitate Messiae, ejusque æternâ à Patre generatione adserta sunt hactenus, sicut ex V. T. immotis testimoniis comprobari sufficienter possunt, ita eo quoque tempore in Ecclesia credita & publicè proposita fuisse dubium esse non potest. Cui rei fidem faciunt tum argumenta §. VII. adducta, tum apparitiones Filii DEI in angelorum, juvenumque forma, cui peculiari quidem ratione, non tamen ad personalem usque unionem, in propria hypostasi ita conjungebatur Filius DEI, ut solus ipse, non Pater aut Spiritus S. apparuisse, dici potuerit, argumentis ex cuiuslibet loci visceribus depromptis divinam, non angelicam, adparitionem evincentibus. Gen. XII. 1. f. Ex. III. 2. Quamquam majorem in N. T. revelationis lucem seu lucis gradum nequaquam negemus.

T H. X. Divinam naturam Humana excipit. Cum enim homo propriis figuratisque vocibus frequentissime appelletur, quæ partes hominis cum essentialibus, caput, manus, pedes, alias que

que membra, quin & actiones & accidentia humana Christo attribuantur, hominem verum proprieque dictum esse & humana natura praeditum, sponte intelligitur. 1. Tim. III. 16. Hebr. II. 14. Luc. XXII. 19.

T H. XI. Non autem perinde ut divina natura, ita & humana propriâ gaudet hypostasi, sed per se ἀνυπόστατη est & à τῇ λόγῳ ut in Scholâ loquuntur, personatur. Cum enim duas res in uno supposito complete & ultimato subsistere impliceat & verò à Divina natura ὑπόστασις propria inseparabilis sit, facile patet, humanam naturam, antequam in unitatem personæ τῷ λόγῳ accedere posset, privari propria personalitate debuisse. Quo tamen non obstante humana natura perfectissima fuit, cum defectum suppleverit hypostasis longe nobilior, nec personalitas in formali res sit sed modus ultimato subsistendi.

T H. XII. Ornabant humanam in Christo naturam eximia animi corporisque dona, quæ ex divina imagine, ad quam præservante materiam generandam ab omni vitio Spiritu S. formata fuerat, profluxerunt. Utpote animi mundities peccare prorsus nec scia. Es. LIII. 10. Dan. IX. 24. Immortalitas animæ interna. Rom. VI. 23. quamquam morti sese liberrima voluntate subjecerit. Joh. X. 17. 18. Corporis incorruptibilitas. Psalm. XVI. 10. Et formæ elegantia, in qua sine dubio factum divinâ manu Adamum superavit. Ps. XLV. 3. Etsi illa temporis successu injuriis externis cesserit, deformitatique nostri causa locum reliquerit. Es. LIII. 3.

T H. XIII. Humana hæc natura in unam cum Divinitate Filii personam per incarnationem sese conjunxit. In quo opere & unio in actu, quæ & unitio dicitur & unio in statu potest considerari.

T H. XIV. Actus unionis incarnatio est, cum persona Divinitatis secunda, Filius DEI, humanam naturam in utero Mariæ virginis ad personæ suæ unitatem terminavit, dum concepto supernaturali virtute semini sese intime conjunxit. Hebr. II. 14. 16.

T H. XV. Unionis status seu unio ipsa formaliter participatio est ejusdem subsistentiæ, quâ Filius DEI carnem terminat & substantialiter complet, ut neque per se neque per quidlibet aliud,

B

sed

sed per solam ipsius verbi personalitatem constituitur in suo esse
ultimo hypostatico & incommunicabili; naturarumque perpe-
tua ad invicem præsentia, indeque oriens proprietatum commu-
nicatio. Col. II. 9. Cujus modus, licet in tanto mysterio singularis
sit & mirabilis, præeunte tamen Scriptura per ἄποινα & διστάνσα sufficien-
ter explicari potest. Neque enim unio sive per corruptionem, sive
per confusionem, sive per conversionem, sive per coacervationem,
sive per assistentiam, sive per habitudinem quandam externam, si-
ve per consensum merum, sive per sustentationem nudam facta est;
mansit enim post unionis actum utraque natura integra & tamen
intimo ineffabilique modo sese permearunt naturæ: Sed per per-
sonalem naturarum idiomatumque communionem. Id quod
doceri quidem similitudine animæ & corporis, non autem exhaus-
turi mysterium ὑπὸ τῆς οὐκέτη τῶν κατάληψίων positum potest.

TH. XVI. Unionem hanc ita descriptsit antiqua Ecclesia; ut diceret esse ἀκάρετον, quæ, tametsi absolute loquendo solvi possit, actu tamen nunquam solvatur. Hebr. VII. 3. Ἀσύγχυτον, ut in unione quælibet natura, naturæque proprietas illæsa perseveret. Joh. I. 14. Αδιατάτον, ut λόγος nec exta carnem, nec caro sit extra λόγον. Col. II. 9.

TH. XVII. Sicut autem unio dupliciter consideratur, ita & propositiones ex unione resultantes pro diverso unionis respectu duplices reperiuntur. Quædam enim ex unionis actu profluunt, ubi subjectum est persona divina simplex, prædicatum actus unionis: ut, *verbum caro factum est*: Joh. I. 14. Quædam vero ex statu & tum concretum naturæ de concreto naturæ alterius enuncia-
tur: ut *germen Davidis est Jehova*, id est, homo est DEUS. Jer. XXIII.
5. Utriusque generis propositiones, (etsi posterioris propriè per-
sonales dicantur) non secus ac unio ipsa realissimæ sunt, nec ob ma-
teriæ sine exemplo singularitatem ad usitatum prædicandi genus
referri possunt, nisi quando paronymica prædicatio ampliatur. Et
secundum quosdam luculentioris explicationis causa personalis
propositio: DEUS est homo, æquipollenter redditur per hanc:
Christus secundum divinam naturam, (ita enim evolvi existimant
concretum naturæ divinæ) est homo, Luc. I. 35. Quod tamen suo
nunc loco relinquimus.

TH.

TH. XIX. Unionem sequitur communicatio. Communicatur equidem primo persona naturae humanae, ut *τὸν λόγον* subsistat, quae tamen communicatio conceptu ab unione recte intellecta parum differt. Quid enim est uniri carni quam carni communicari? Cum vero naturae personam consequantur, naturarum communicatio post unionem locum habet, quae intimâ *περιστασίᾳ* & permeatione exprimitur, non tamen ad naturarum usque de se in abstracto enunciationem se extendit. Quare etsi legas: *Hic homo verè est Filius DEI;* nunquam tamen legeris: Hæc humana natura est Divina Filii natura.

TH. XIX. Sequitur autem in primis idiomatum seu propriatum communicatio. Quæ non est mera prædicatio proprium unius naturæ de altera, (etsi prædicatio, ut communicationis consequens, accedat & per illam à nonnullis describatur) sed realis proprietum divinæ & humanæ naturæ in Christo *κατηρώσα* participatio, denominata vel secundum alterutram vel secundum utramque naturam. Hanc & intimæ unionis ratio, quam communio etiam in exemplis unionis non tam accuratæ in sequitur, & officium mediatorum, ad quod utriusque naturæ propria communio opera confluunt & cultus, qui jubente Scriptura carni Servatoris deservit, requirit.

TH. XX. Hæc communio seu communicatio, (in statu enim, non actu, vox capienda est) pro diverso ad personam & naturas respectu in diversa quoq; dispertit seu genera seu gradus. Quorum tria vulgariter & à Form. Conc. (cujus auctores melioris ordinis & distinctionis causa hanc primum distributionem fecere) ab aliis autem, qui rationibus non destituuntur, quatuor recensentur, quod tamen quartum genus sub primo potest contineri.

TH. XXI. In primo genere propria utriusque naturæ de tota enunciantur persona, cum vindicatione proprii ad propriam naturam & appropriatione ad unitam mediantibus particulis *διακριτικοῖς*, vel expressis vel sub intellectis. Atque ejus sunt tres quasi species, quarum prima *αὐτιδοσίς* vocatur, ubi divina & humana attributa de toto Christo enunciantur: *Christus est ex patribus secundum carnem.* Rom. IX. 5. *Christus est heri & hodie & in eternum,* secundum Deitatem. Hebr. XIII. 8. Altera *κοινωνία τῶν θείων* cum de concreto

humano prædicantur attributa divina: *Priusquam Abraham erat, ego sum*
Joh. II. 18. Tertia denique *ἰδιωτικός*, cum de concreto divino at-
tributa dicuntur humana: *DEUS proprio sanguine redemit Ecclesiam.* Act.
XX. 28.

T H. XXII. Concretum naturæ dicitur natura cum connotatio-
ne subsistentiæ. Atque hoc concretum attingit appropriatio in primo
hoc genere, non verò naturam in abstracto. Sequimur hic dictum Scri-
pturæ, quæ ob communicationem & *βιανίαν* in secundo genere de car-
nē etiam in abstracto divina attributa *ἐνεργητικὰ* & ad actionem compara-
ta enunciat, non item ob appropriationem de Divinitate humana. Et
ratio est, quia juxta Leonem, *perfectio non est assumentis sed assumpti.* Ap-
propriationis autem istius modus ineffabilis quidem est, proprius tamen
& figuræ omnis tropique expers; per quam enunciatur, quid per unio-
nem non personæ tantum respectu solius carnis, sed naturæ etiam Divi-
næ, mediante persona, sit proprium & *ἴδιον* factum, velut hac voce uti-
tur Spiritus S. Act. XX. 28. Quam propriè igitur verbum factum est
earo, tam propriè vereque de *τῷ λόγῳ* omnia ea rectè enunciantur, quæ
carni unitæ in se conveniunt: & tam verè carnis proprietates de divina
natura in concreto personaliter enunciantur, quam verè naturaliter ipsi
humanæ competit naturæ.

T H. XXIII. In secundo genere communicationis idiomatum
communicata carni Divina prorsus attributa de humana natura tum in
concreto tum in abstracto enunciantur. *Mibi data est omnis potestas.*
Matth. XXIX. 18. *Sanguis Christi emundat à peccato.* 1. Ioh. I. 7.

T H. XXIV. Attributa illa collectim accepta Majestatis Divinæ,
(ne quis ineffabilia quidem & supernaturalia, non tam divina prorsus
dona carni communicata esse existimet) nomine exprimuntur. Col. II. 9.
Quæ tamen si omnia singulaque communicata sint, prædicantur tamen de
carne, ut in aliis etiam unionis speciebus fieri consuevit, ea tantum, quæ
ad *ἐνέργειαν* & operationem comparata sunt: velut omnipotentia, Ioh.
XVII. 2. Omnisscientia. Col. II. 3. Omnipræsentia. Matth. XXIX.
18. 20. Vivificatio. Ioh. V. 25. 26. 27. Et adorationis cultus. Phil. II.
9. o.

T H. XXV. Modus communicationis secundum speciem ineffa-
bilis quidem est, præcedente tamen Scriptura, neque exæquat neque con-
fundit naturas, neque carnem subjectum attributorum formaliter aut es-
sentialiter.

sentialiter ei inhærentium facit, non tamen ideo nude verbalis est & immota prædicatione consistit, sed realis, secundum modum hypostaticæ unionis, ut divina idiomata in humana natura liberrimè luceant & per eam divinam suam virtutem, efficaciam, majestatem exerceant, operentur & perficiant, ut hoc mysterium exponit Form. Conc. Decl. Art. de Christ. Quem accuratum communicandi modum, ut Philosophi exprimerent, attributa illa de humanâ naturâ, non per extrinsecam, sed intrinsecam denominationem prædicari dixerunt, quod tametsi formaliter carni non inessent, ad formalem tamen inessentiam quam proximè accederent.

T H. XXVI. In tertio genere, (quod in Form. Conc. secundum est) participat totum compositum de concursu operum utriusque naturæ in operibus officii. *Filius DEI condemnavit peccatum in carne per peccatum.* Rom. II X. 3.

T H. XXVII. Principium igitur inseparabile est utraque natura, à quib. duplex fluit *ἐπέργεια* seu actio cuilibet naturæ propria, quæ terminatur immediate in opus utriq; pariter naturæ proprium, quod *ἐνέργεια* dicitur & ultimo in *ἀποτέλεσμα*, seu effectum, utriq; naturæ communem. Quæ licet doctrinæ causa à veteri Ecclesia ita distinctè proponantur, nequaquam tamen sive naturarum inter se sive actuū inde fluentium ulla cogitari debet in ordine ad effectum vel separatio vel distantia. Quippe ne mentis quidem *ἴπποις* fingi potest, esse in salutis nostræ negotio aliquid, quod sive à Divinitate præcise vel nude ab humanitate, absque utriusque inseparabili communicatione & appropriatione procedat. Qualibet actionis *ἰδεῖα* particula, ubiubi humana est, divinitatis est oleo infecta, ubiubi divina est, humanitas est infirmitate colorata. Atque illud est, quod veteres dixerunt: *qualibet natura agit, quod sibi proprium est, cum communicatione alterius.*

T H. XXIX. Admiranda hujs unionis & communionis ha. Etens delineatæ finis est Officii executio, quod tergeminum esse sufful-to quibusdam argumentis usu obtinuit. Nonnulli forte sine gravi causa ad duo revocant, ut Sacerdotali Propheticum, tanquam pars adjungatur; nobis recepta placet distinctio, quanquam non adeò antiqua.

T H. XXX. Propheticum officium id est, quo tum à mundi exordio partim in suamet persona forma Angelicis vestita, partim per Patriarchas atque prophetas futuro muneri quasi præludendo: tum sub finem mundi, partim immediatè in assumpta carne, partim mediate per

listas & Apostolos voluntatem divinam lege & Evangelio comprehensam, omnibus, quantum in se erat, hominibus revelavit, vi quadam docendi efficacissima, qua & adversarios felicissime postravit & salutarem doctrinam animis, haud pertinaciter reluctantium, implantavit. *Spiritus Domini super me, qui unxit me & misit ad annunciatum Evangelium pauperibus, ad sanandum corda contrita, ad concionandum captivis libertatem, cœcisque visum.* Es. LXI. i.

T H. XXX. Sacerdotale officium versatur circa reconciliandum DEO per plenariam pro peccatis satisfactionem & non interruptam pronobis intercessionem genus humanum. *Sicut infantes communicant carni & sanguini: ita similiter participavit iisdem, ut per mortem adimeret potestatem ei, qui mortis habebat imperium. h. e. Diabolo & redimeret eos, qui metu mortis per totam vitam servi erant.* Hebr. II. 14. 15.

T H. XXXI. Cujus officii duæ sunt partes: Satisfactione & Intercessio. Satisfactionis autem vocabulum paulo latius hic capitul, prout & meritum includit.

T H. XXXII. Principium, quod satisfacit sive Sacerdos, Iesus est Christus, nulla, ne angelica quidem creatura in operis consortium veniente. Es. LXIII. 1. 3. isque secundum utramque naturam consideratus. Rom. V. 10. Objectum, cui satisfactum est, Deus trinus, peccatis laetus. Psalm. LI. 6. Objectum, pro quo satisfactum, reale, omnia sunt singulaque hominum peccata. 1. Joh. I. 7. Omnesque peccatorum penæ, ne infernali quidem exclusa. Es. LIII. 5. Per sonale vero non angeli. Heb. II. 16. neque Christus ipse. Hebr. VI. 26. 27. Sed homines, idemque, quotquot ex Adamo vitiosum sanguinem traxerunt, omnes. Joh. I. 29. Medium, per quod satisfactum, obedientia Christi legi patiendo & agendo praestata. Psalm. XL. 7. 8. 9. Forma satisfactionis in persolutione & merito alieni consistit. Ps. LXIX. 6. Act. XX. 28. Finis denique ex parte DEi gloria justitiae. Rom. III. 25. 26. Ex parte nostri redemptio. Hebr. IX. 12.

T H. XXXIII. Ad satisfactionem criminalem, eamque vicariam, tria requiri in confessio est: ut in vicem peccantis innocens succedat: ut innocentis peccantis delictum imputetur: ut innocens penam peccantis delicto proportionatam sustineat. Quæ duo effectus consequuntur, nam judex innocentis facto conciliatur & peccans impunitatem consequitur. Iam vero Christus hominis peccatoris vicem sponte subiit.

Rom.

Rom. II. 9. 32. Ei, ex se fse innocentis, peccatum hominis imputatum est. II. Cor. V. 21. Pœnam peccato debitam pertulit Ef. LIII. 5. 6. Quo facto judex cœlestis reconciliatus fuit. II. Cor. V. 18. Et homo peccator impunitatem impetravit. Rom. V. 1. Sequitur ergo, Christum vicaria ratione pro peccatis nostris propriè satisfecisse.

T H. XXXIV. Quamquam verò, quæ Divinitatis persona hoc mediationis atque satisfactionis opus perficeret, in liberrimo Trinitatis arbitrio positum fuisse dicatur: à persona tamen divina, supposito, homini peccatori ad recuperandam salutem ex divinâ voluntate subveniendum fuisse, non ab alia quacunque creatura satisfieri potuit. Læsa enim fuerat infinita justitia, cui repugnat quodlibet, vel minimum, peccatum dimittere impunitum, nisi pœna vel in peccante vel in vade fuerit exacta. Peccatum verò infinitæ malitiæ est, cujus pœna ab homine nudo, qui finitus est, persolvi sine æterno exitio nequit. Quare proprio filio DEus pater ad redimendum hominem non pepercit, cujus, si alia ratione eundem redimere potuisset, utique pepercisset. Rom. II. 9. 32.

T H. XXXV. Cum igitur persona satisfaciens fuerit infinita, infiniti quoque precii passionem & actionem, quam subiit, fuisse necesse est, non quod in infinitum ratione temporis illa aut extensa fuerit aut extendi illam oportuerit, sed quod ex personæ dignitate ipsis aëtibus precium, qualis ipsa persona est, accreverit, ut vel una sanguinis effusi guttula, si valorem ejus internum respicias, eluendo peccatorum mari suffecisse dici queat, nisi providentia Divinæ & sapientissimæ dispositioni hunc potius quam aliud passionis ordinem præscribere ab æterno placuisset. Neque in se tantum infiniti ponderis isthæc est satisfactio, sed ex voluntate etiam atque intentione divina ad omnes singulosque homines, (dæmonum enim cur non eadem ratione misertus sit DEus, imperscrutabile est) pertinet, toto sacrarum Literarum codice id abundè contestante. I. Joh. II. 1. 2. Rom. III. 23. 24. I. Tim. II. 4. 5.

T H. XXXVI. Alteram satisfactionis partem intercessio constituit, qua Christus partim generaliter pro omnibus hominibus partim specialiter pro fidelibus & electis, DEO Patri, meritum suum quasi præsentando, vere quidem, licet modo nobis incomprehendens.

prehensibili rogat, ut vel ad fidem convertatur, vel in fide conservetur. Rogo pro eis, & non pro mundo, sed pro iis, quos mihi dedisti, quia tui sunt. Joh. XVII. 9. Pater, remitte crucifigentibus me, quoniam ignorant, quid faciant. Luc. XXIII. 34.

T H. XXXVII. Regium denique officium id est, quo genus humanum, per redemptionem in regnum sibi adsertum, potentia manu omnipresentissimus monarcha, secundum utramque naturam regit atque gubernat, in primis fideles ex naturali miseria erexitos contra Diabolum & mundum tuetur, in ipsius gloriam & hominum salutem. Suscitabo regem Davidi, qui sapiens erit & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda & Israel habitabit confidenter. Jer. XXIII. 5. 6.

T H. XXXIX. Imperium istud velut in triplici regno administrat. Quorum primum regnum appellatur potentiae, cum omnibus creaturis hominis causa imperat, iisque in salutem ejus utitur. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves & pecora campi, volucres cœli & pisces maris. Domine Zebaoth, quam admirabile est nomen tuum in omni terra. Psalm. IX. 8. 9. 10. 1. Cor. XV. 27. Secundum Regnum gratiae, cum ministerio verbi & Sacramentorum ex universo mundo per fidem Ecclesiam sibi colligit, collectamque conservat. Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alias vero Evangelistas, alias Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii in edificationem corporis Christi. Eph. IV. 10. 11. 12. Tertium Regnum gloriae, cum in fide perseverantibus plenariam & incessantem gaudiorum cœlestium perceptionem impertitur. Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Et ibunt justi in vitam æternam. Matth. XXV. 34. 45.

T H. XXXIX. Quamquam vero æternum sit atque recte dicatur regnum Christi, Luc. I. 33. non tamen ab æterno id administravit, cum nec ab æterno subditos imperio suo habuerit, nec humana gavisus fuerit natura: Sed ab æterno ad id DEI decreto destinatus, in V. T. externis se formis sociando ei prælufit, à momento unionis imperium quidem & summam in res omnes potestatem ad possessionem accepit, sed plenario usu ad tempus usque sessionis ad dextram sese abdicavit. Postquam autem in cœlum ascendens impe-

imperio, ejusque interminabili usu potitus est, in omnem æternitatem sine omni fine rebus omnibus dominatur, sicut de his amplius postea dicetur.

T H. XL. Perfunctus est Servator noster his officiis in duplice statu, quorum prior exinanitionis, alter exaltationis vocatur. Cui, ut tertius seu intermedius addatur, neque Sacra Scriptura, neque necessitas alia requirit. *De torrente in via bibet, propterea capit exaltabit.* Psalm. CX. 7.

T H. XLI. Exinanitionis status is est, cum Christus secundum humanam naturam, quæ divina idiomata primo conceptio-
nis momento per unionem ad possidendum accèpit, eorundem plenario & nunquam interrupto usu verè realiterque, voluntariè tam
en & ad tempus eum in finem sese abdicavit, ut protentato à pri-
mis parentibus nostris DEiformitatis raptu justitiæ divinæ satisfa-
cere, nosque in æternam salutem asserere posset. *Christus Iesus, cum
in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO, sed sese
exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & ha-
bitu inventus, ut homo. Humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem,
mortem autem crucis.* Phil. II. 6. 7. 8.

T H. XLII. Sunt autem hujus exinanitionis quidam five gradus five species: *Conceptio*, cum Filius DEI in utero Mariæ se-
mini miraculosâ Spiritus S. *incarnatione* ab omni impuritate præserva-
to instructoque animâ ex anima Mariæ traducta sese ad unius sup-
positi existentiam conjunxit, ut effigiari inter dolores corpus organi-
cum & ad futuram nativitatem elaborari posset. *Luc. I. 35.* *Nati-
vitas*, cum infans ex utero materno, rupto sine dubio virginali
claustrâ & modo ordinario egressus, vitam miseram & ærumnosam
hausit. *Hebr. II. 14.* *Pasio*, cum per totum vitæ tempus, in primis
sub ejusdem finem, varias corpore animoque calamitates, insidias,
persecutiones, vincula, verbera, scismaticata, voluntariè quidem sed
verè proprieque sustinuit. *Ef. LIII. 2. f.* *Mors*, cum corpus tot fati-
gatum passionibus, verè localiterque ab animâ separatum fuit. *Luc.
XXIII. 43. 46.* Denique *sepultura*, cum curante Josepho & Nicode-
mo corpus exanime è cruce translatum in hortum inque sepulcro
repositum, in eo per triduum permanxit. *Matth. XXVII. 57. f.*

T H. XLIII. Memorabilis in passione Salvatoris in primis
est derelictio à DEO, dum queritur: *Deus meus, Deus meus, quare me*

C

dereli-

dereliquisti? Matth. XXVII. 46. & ἀγωνία in horto dolorque sa-
guineum sudorem exprimens. Luc. XXII. 44. Deserit autem
DEus Pater, (non tamen excluso λόγῳ, solatium ac auxilium unitæ
carni subtrahente,) Christum secundum humanam naturam, ut
totum genus humanum repræsentat, in primis animam secundum
partem inferiorem pariter ac superiorem non deliquum divinitati
ipsi, quæ ἀπερδίς est, inferendo, nec unionem personalem, quæ in-
dissolubilis est, aut idiomatum communionem solvendo, neque fi-
duciam in DEum, quod contra legem est, subtrahendo, sed gratiâ
cœlesti & oriundis ex inhabitante Deitate solatiis privando. Quam
sponte insequitur exquisitissima dolorum infernalium passio, qui
licet æterni non fuerint duratione, si tamen intensionem eorundem
& personæ patientis infinitatem respicias, æternis non tantum æ-
quipollent, sed longissimè eosdem supergrediuntur. Hæc peccato-
rum fuerant suppicia, quæ dum in sece suscepereat Christus, non
poterat non à DEO patre tanquam καθάρα & peccatorum omnium
maximus, imò ut peccatum ipsum tractari, dicente Apostolo, Gal.
III. 13. II. Cor. V. 21.

T. H. XLIV. Ut ita concipi, ut nasci, ut pati, ut mori posset,
ut sepeliri & verbo, infinitam peccatorum pœnam sustinere Chri-
stus, opus fuerat, ut non nude tantum occultaret, sed prorsus depo-
neret τὸν μορφὴν Θεοῦ, statum DEI gliosum, seu plenarium & non in-
terruptum divinæ majestatis usum; quem si duntaxat occultasset,
revera autem exercuisset, putativè tantum & secundum opinionem
hominum isthæc omnia subiisset, qui tamē verè passus est. Ef. LIII. 4.

T. H. XLV. Nominatim semet abdicavit Christus usu *opu-*
lentiæ, cum nostri causa non quidem mendicus, sed pauper tamen
revera factus, neque sibi neque aliis divitias ullas prodegit. II. Cor.
IIX. 9. *Omnipotentiæ*, cum factus infirmus illatas ab hostibus injurias
non propulsavit, licet patientem naturam sustentaverit, pondus-
que ei addiderit infinitum. Luc. XXIII. 33. 35. *Omnisapientiæ*, cum à
puero sicut ætate ita sapientiæ profectibus quotidie crevit. Luc. II.
52. *Omniscientiæ*, cum extremum diem verè proprieque ignoravit.
Marc. XIII. 32. *Cultusque religiosi*, cum infra angelos dejectus, confor-
tari ab angelo debuit. Hebr. II. 7.

T. H. XLVI. Sed & omnipræsentia actu secundo ita semet exinanivit,
ut sec. car. nullis aliis, præterquam quæ corpore suo subinde occupa-
verat,

verat, locis ad extra ordinariè fuerit præsens. Id quod in primis ex tridu-
no mortis spatio, ubi juxta animam in paradiſo, non sepulcro, juxta cor-
pus in sepulcro, non paradiſo fuit, illæ ſa utrobique manente personali u-
nione, eluſeſcit. Quæ tamen ad extra præſentia, quam extērnam ſeu exti-
mam nonnulli vocant, dum de carne Christi illo in ſtatu negatur, ad in-
terioris tamen, quæ eſt ἀόρα ad carnem & carnis ad ἀόρα, in omnibus, quæ
ſingi poſſent, locis negationem inde non recte concluditur. Marc. XVI. 6.

TH. XLVII. Quamquam verò, ceu diximus, plenario & incessante
donorum ſibi collatorum uſu ſeſe in diebus carnis ſuæ abdicaverit Chri-
ſtus, ſubinde tamen, quando, ubi & quoties viſum fuit, ſingulatim vel
conjunctione ea exeruit, ſicut exemplis, quæ brevitatis cauſa non adduci-
mus, paſſim conſtat.

TH. XLIX. Sequitur ſtatus exaltationis, cum è paſſione ad gloriam,
ex humilitate ad majestatem, ejusque plenarium, nec unquam interru-
ptum uſum, per quosdam quaſi gradus ſecundū carnem evectus, hodieq;
& in perpetuum universo dominatur mundo, ab omnibus ideò creaturis
religioſe adorandus. Exaltavit Deus Chriſtum & donavit ei nomen, quod eſt
ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flebit, cœleſtium, terreftrium
& inferorum & omnis lingua conſiteatur, quod Dominus Ieſus Chriſtus in gloria
eſt DEI patris. Phil. II. 9. 10. 11.

TH. XLIX. Primus igitur gradus deſcensus eſt ad inferos, ubi Chriſ-
tus ſpiritu vivificatus ſec. carnem, antequam resurgeret, ad carcerem in-
fernalem verè proprieque deſcendit, ut triumphum duceret de hostibus,
potestatemque ſuam cœlo & terræ incumbentem maniſtaret. Eph. IV.
8. Quomodo autem Chriſtus id effecerit, non eſt, ut argutis & ſublimibus imagi-
nationibus ſcrutemur. Conſulimus enim, de hac re non eſſe diſputandum, ſed quam
ſimpliciſſime hunc articulum credendum & docendum eſſe, ait Form. Conc.
loc. de loc. Art.

TH. L. Secundus eſt Resurrectio, cum corpore cum anima propria
virtute rediuito è clauſo ſepulcro tertio die egressus, variis ſe apparitio-
nibus vivum præſentavit, eum in finem, ut meritum præcedens & benefi-
cia per id parta credentibus applicaret. Rom. IV. 25.

TH. LI. Tertius denique eſt Adſcenſio, cum è monte olivetis ſec. car-
nem vera realique loci mutatione, atq; in ſublime elevatione, non tamen
ſecundum modum corporis naturalis ſed per œconomiam ſingularem
per aërem primo ad nubes, deinde à nubibus ad cœlum fidereum
& ab hoc ad ſe beatorum elevatus, clauſum nobis reſerayit paradiſum. Act. I. 9. 11.

TH.

TH. LII. Immediatum ad scensionis consequens est sessio ad dextram, cum in plenarium divinorum attributorum usum, in primis dominium rerum omnium universale & omnipresentissimum ideo secundum carnem intromissus est Salvator noster, ut pro nobis perpetuo apud Patrem interpellat & Ecclesiam suam gratiouse protegat atque defendat. Neque enim dextra Dei peculiaris in cælo locus est, sed potentiam maiestatemque divinam in sacris signat, sicut sedere non est locum occupare sed infinitum obtinere dominiū. Eph. I. 20.

TH. LIII. Ad scensio isthæc & sessio omnipresentiam carnis Christi ad creaturas omnes, in primis Ecclesiam, adeo non destruit, ut potius confirmet. Ideo enim adscendit & ad dextram consedit, ut omnibus dominari creaturis, omniaq; in omnibus implere posset. At nec dominari absens, quod impotentiæ & infirmitatis est, nec omnia implere sine sui ad res implendas præsentia potest. Jer. XXIII. 24. Neq; vero localis hæc est præsentia, sed divina & illocalis, quæ diuersos admittat gradus, modosque. Potenter enim præsens est creaturis omnibus. Eph. I. 23. gratiouse fidelibus, Matth. XIII. 20. XXIX. 20. sacramentaliter symbolis externis. Matth. XXVI. 26. singularissimè suæ carni. Col. II. 9. Quare rectè Formula Concord. Credimus superioribus Scripturæ testimoniis maiestatem Christi hominis declarari, ut secundum assumptionem naturam & cum ea præsens esse possit & quidem præsens sit, ubi unq; velit, præsertim verò sentimus, eum Ecclesiæ suæ in terris, ut mediatorem, caput, regem & summum Sacerdotem præsentem esse.

TH. LIV. Atq; hic haec tenus descriptus, talisque Servator, his in officiis, his in statibus, isq; solus, genus humanū universum ob crimén læsæ maiestatis divinæ æternis carceribus mancipandum, ab ira justissimi Dei, peccatorum severissimi vindicis, ejusq; ministro, infernali dæmone, obedientia sua cum activa tum passiva, jure sanguinis, cum ex patribus nostris genitus esset, viribus ad id infinitis & voluntate nos juvandi propensiissimâ instructus, legis maledictioni ad sanguinem usq; mortemq; se subjiciendo, eandemq; perfectè implendo redemit, inq; gratiam divinam & salutis æternæ spem asseruit, redditurus in extremo die ad judicandū vivos & mortuos; qui cunq; verbis ejus fidem denegant & carnis opera perficiunt, ad infernales æternasq; pœnas detrusurus, qui verò tot tantaq; merita & fideli manu apprehendunt & vitâ fide digna æstimator, ad gaudia nunquam terminanda introducturus.

F I N . I S.

Coll. Dresd. A 166, folio 43